

**G**LORIA in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratiam agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, Rex cælestis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite, Jesu Christe. Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus Sanctus. Tu solus Dominus. Tu solus Altissimus, Jesu Christe. Cum Sancto ✠ Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

**M**UNDA cor meum, ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaïæ Prophetæ calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

**T**UBE, Domine benedicere. Dominus sit in corde meo et in labiis meis: ut digne et competenter annuntiem evangelium suum. Amen.

*Sacerdos offerens Hostiam super patenam dicit:*

**S**USCIPE, sancte Pater, omnipotens æterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo et vero, pro innumerabilibus peccatis, et offensionibus, et negligentis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus Christianis vivis atque defunctis: ut mihi, et illis proficiat ad salutem in vitam æternam. Amen.

*Accipens Calicem offert dicens:*

**O**FFERIMUS tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam: ut in conspectu divinæ majestatis tuæ, pro nostra, et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.

**I**N spiritu humilitatis, et in animo contrito suscipiamur a te, Domine: et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus.

**B**ENEDI, Sanctificator omnipotens æterne Deus, et benedic hoc sacrificium, tuo sancto nomini præparatum.

*Accipiens in manus Hostiam dicit:*

**Q**UI pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et elevatis oculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, et manducate ex hoc omnes:

**Hoc est enim Corpus meum.**

**S**IMILI modo postquam cœnatum est, accipiens et hunc præclarum Calicem in sanctas ac venerabiles manus suas: item tibi gratias agens, benedixit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, et bibite ex eo omnes:

**Hic est enim Calix Sanguinis mei,  
novi et æterni testamenti: mysterium fidei:  
qui pro vobis et pro multis effundetur in  
remissionem peccatorum.**

Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.

**C**REDO in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem  
cæli et terræ, visibilium omnium, et invisibilium. Et in  
unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum.  
Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de  
lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, not factum,  
consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter  
nos homines, et propter nostram salutem descendit de cælis.  
(Hic genuflectitur) ET INCARNATUS EST DE SPIRITU  
SANCTO EX MARIA VIRGINE: ET HOMO FACTUS EST.  
Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus, et sepultus  
est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit  
in cælum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est  
cum gloria, judicare vivos, et mortuos: cujus regni non erit finis.  
Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem: qui ex Patre  
Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et  
conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam,  
sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum  
baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto  
resurrectionem mortuorum. ✠ Et vitam ventura sæculi. Amen.

**S**USCIPE, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi  
offerimus ob memoriam passionis, resurrectionis, et  
ascensionis Jesu Christi Domini nostri: et in honorem  
beatæ Mariæ semper Virginis, et beati Joannis Baptistæ, et  
sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et istorum, et omnium  
Sanctorum: ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad  
salutem: et illi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum  
memoriam agimus in terris. Per eundem Christum Dominum  
nostrum. Amen.

*In fine Missæ ante Benedictionem dicit:*

**P**LACEAT tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis  
meæ: et præsta; ut sacrificium quod oculis tuæ  
majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihi que,  
et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante,  
propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.